

medicamentis optimis suffultæ, & per sudorifera primò statim insultu propinata à veneno vel liberatæ, vel eodem ad emunctoria alia propulsò, ut ibidem laudabili naturæ conatu ad suppurationem perducatur. Bubones autem & anthraces quò in minori copiâ adsunt, eò magis videtur superabile malum, & mitius habetur. II. Quemadmodum autem pestis est morbus acutissimus, ita & brevissimus, qui naturâ suâ, sæpè 24. horis jugulat, nonnunquam tertio, quarto, septimò; raroque nonum diem attingit. Ita plures cum protrahitur malum hoc in dies, salus quoque certior expectanda erit. III. *Eventus modum* quod spectat, malignitate ab interioribus ad extremitates detrusâ abit in bubones, carbunculos, exanthemata alia, quæ si statim primis diebus prorupuerint, & quò citius ad maturitatem fuerint redacta, venenò sic è corpore propulsò, spem restitutionis in integrum faciunt.

§. XXV. Mentio facta est §. 23. pestis imminētis, quam præcavere; & præsentis, quam κατὰ δύναμιν tollere debemus; ut utrique satisfiat, omnem, licet brevibus, operam impendamus. Prior uti naturâ, ita quoque ordine & modò illam posteriorem antecedit, inque causarum ablatione & justâ corporis contra irruentis veneni vim firmatione consistit. Hæc tribus modis institui debet: I. Ut *Deum iratum* seriâ pœnitentiâ moveamus ad misericordiam, & vera, non simulatâ vitæ emendatione placemus. Immisericors enim non est Deus noster, ut patiat se non exorari & quidem per Christum, corporis ac animæ nostræ Archiatrum, qui nos liberat à peste, quæ in tenebris grassatur, & à luce, quæ die circumvagatur. Ut voti compotes evadamus, ecce! ipse factus est inferno pestilentia & morti venenum.